




„Quod bella ex animis hominum oriuntur, pax quoque in animis hominum sita sit oportet.“

Consilium principale foundationis UNESCO, quae in praefatione constitutionis eius legitur, quam 37 respublicae die 16 mensis Novembris anno 1945 Londinii confirmaverunt.

Historia scholae nostrae

- 1252** Fundatio Monasterii Cinerei: “Ut sub tutamine oppidi opera amoris tui doceant, monachi domum prope ecclesiam Domini erigunt.”
- 1541** (die Michaelis, 29 mensis Septembris, tempore reformationis); institutio scholae Latinae: “Laute et pure verbum praedicatur. Monachi cedunt discentiumque caterva in scholam influit.”
- 1541** quattuor classes
- 1561** usque ad finem 18 saeculi: 6 classes
- 1798** post interitum oppidi: “Denuo schola, quae diu deformis ruinis, nunc eminebat, ut duces intellectuales populi educaret, probos oppidi cives.”
- 1893** Cum aedificium scholae hodiernum inauguraretur: “Septuaginta lustris [=quinquenniis] domus illa servivit, tum hanc extrui senatus populusque oppidi iussit.”
- 1933** Fundatio Societatis Discipulorum Veterum Scholae Magnae Wismarensis
- 1948** Nomen scholae attributum est: “Schola Superior Extensa Sororis et Fratris Scholl”
- 1990** Schola novum nomen accepit: “Magna Schola Urbana Sororis et Fratris Scholl”
- 2011** a die 21 mensis Martii anni 2011 schola studiosa inceptorum UNESCO
- 2014** Rogatio ut schola fiat schola particeps inceptorum UNESCO
- 2016** a die XV. Kal. Mart. anni 2016 schola probata UNESCO



Fines Societatis et scholae nostrae:

Unius mundi conscii problemata primaria humanitatis solvere studemus.

Salutatio occasione iubilaei 455 annorum Magnae Scholae Urbanae Gymnasii Sororis et Fratris Scholl:

“Quid optemus brevi exponam ea lingua, quam fundator scholae anno 1541 rursus introduxit. Lingua Latina classica futura et substructio atque hereditas totius Europae humanitatis sicut tunc erat, ita nunc est. Multique aetate provectiores inter nos scholae suae veteri ac iuveni optavere hanc linguam in canonem cultus receptum iri. Sinite hoc brevi atque praeclaro dicam proverbio: vivat crescat floreat per multa saecula.”

Joachim Grehn (86/1996)

In Germania sunt 300 scholae, quae inceptum scholarum UNESCO participant. In toto orbe terrarum circiter 9000 scholae intersunt. Et nos participes esse volumus et huic rei operam dare! Magistri, discipuli, parentes Gymnasii Sororis et Fratris Scholl excitati et parati sunt, quod intellegi etiam potest ex pristinis inceptis nostris.

